DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

9

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE PNEUMONIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS M'CAMMON,

HIBERNUS:

Ad diem 12. Septembris, horâ locoque solitis.

——— ἀλλ' ἡ 'μπειρία
Ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον. EURIP.

Careless and crude the youthful writer's page,
But just the precepts of experienc'd age.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

MDCCC.

VIRO

[illegible]

ANDREÆ DUNCAN, M.D.

[illegible]

VIRO

AMICISSIMO ERUDITISSIMOQUE,

ANDREÆ DUNCAN, M. D.

MEDICINÆ THEORETICÆ

IN

ACADEMIA EDINBURGENA

PROFESSORI ;

HOCCE QUALECUNQUE OPUSCULUM,

OB OPTIMA IN STUDIIS COLENDIS CONCILIA,

ET BENEFICIA PERMULTA

IN SE COLLATA,

ANIMI GRATI MONUMENTUM,

SACRUM VULT

JACOBUS M'CAMMON.

NECNON,

VIRO ADMODUM REVERENDO,

HANS BOGGS, ARMIGERO,

IN

COMITATU DE DOWN,

VITÆ MORUMQUE INTEGERRIMO,

IN COMMODIS PATRIÆ PROMOVENDIS

STUDIOSISSIMO,

PLURIMA OB BENEFICIA, MULTUMQUE AMOREM,

QUIBUS SE SEMPER PROSECUTUS EST;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

SUMMA OBSERVANTIA,

D. D. C.QUE

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

PROOEMIUM.

INTER varios morbos, quibus hominum genus, ab ineunte ætate ad extremam usque senectutem, plectitur; affectiones morbidæ viscerum thoracicorum, attentionem medicorum summam vindicant: horum enim ope, vita præcipuè sustentatur. In regionibus frigidis, frequentissimi observantur

 pulmonum

pulmonum morbi; quales ſunt angina pectoris, aſthma, catarrhus, pertuſſis, pneumonia, hæmoptyſis, et phthiſis, quæ tantas ſtrages in his partibus quotannis ſemper edunt. Non mihi in animo eſt de his omnibus morbis, ſed ſolummodò pauca de Pneumonia, diſſerere. Non ſanè aliquid novi de hoc morbo mihi ſuppetit; ſed legibus hujus almæ Academiæ obtemperaturus, quæ poſtulant, ut quicunque ſummos medicinæ honores ambiunt, aliquod progreſsûs in medicina ſpecimen ederent.

Pulmones, eorumque membrana, propter fabricam et ſitum ſibi proprium, multò magìs quàm alia organa ad inflammationem pronæ exiſtunt. Varia nomina inflammationibus thoracis, pro parte affecta, olim impoſuerunt auctores: ſi membrana pulmonum afficitur inflammatione, Pleuritis; ſi ſubſtantia, Pneumonia, dicitur. Hæ autem ejuſ-

dem

dem morbi ſpecies diverſæ ſolæ, meritò habentur: in pleuritide enim dolor pungens eſt, inſpiratione præſertim auctus, tuſſis magìs ſicca, et decubitus in latus difficilior: in pneumonia autem pulſus dicitur eſſe mollior, tuſſis magìs humida, dolor obtuſus, et reſpiratio magìs difficilis: in pleuritide quoque morbus faciliùs remediis uſitatis cedit. Quandoquidem hi igitur morbi gravitate potiùs ſymptomatum, quàm naturâ differre videntur, quid de uno dicere ſtatuimus, altero haud malè accommodari poteſt. Reſtat igitur ſolùm ut de pneumonia, quâ decet diffidentiâ, agamus.

DEFINITIO MORBI.

"PYREXIA; dolor in quadam thoracis par-
"te; reſpiratio difficilis; tuſſis *."

HISTO-

* Synopſ. Noſol. Method.

HISTORIA MORBI.

Morbus de quo agitur, ſenſu frigoris ac horroris calorem excipiente, languore, laſſitudine, ſiti, anorexiâ, et ſanè aliis quæ febre ingruente ſeſe oſtendunt ſignis, ut plurimùm obrepit. Pulſus initio ſæpe debilis potiùs quàm validus eſt, neque multùm incitatur; neque calor ſolito intenſior apparet. Senſus moleſtiæ et ponderis in thorace percipitur. Nunc alia pyrexiæ ſigna ægrum fatigant; pulſus durus, plenus et frequens evadit; proſternitur omninò cibi appetentia; lingua ſordida, et tenaci muco obducta, eſt; ſitis importuna, et calor corporis ardens, adſunt. Facies, rubore ſuffuſa, turgida et livida ſæpe apparet. His, pulſatio carotidum; oculorum rubor et dolor; inſomnia; reſpiratio difficilis, anhela; dolor vehemens capitis,

pitis, et haud rarò delirium, ſuperveniunt. Urina turbida ſedimentum copioſè deponit: accedit nunc, vel ſæpe citiùs, dolor lateris acutus, pungens, latus dextrum ut plurimùm obſidens; nunc ſævior, nunc mitior, evadit; ex uno ad alterum latus ſæpe tranſvolat; modò claviculam, modè ſpinam, petit.

Inſpiratio plena, tuſſis, ſternutatio, vel quodcunque corpus, et præſertim thoracem, concutit, dolorem multùm exaſperant. Inflammatio totos pulmones et pleuram tandem corripiens, tracheæ ſpaſmum concitet, quo fit ut ſpiritus difficillimè trahatur; quod ſæpe ita ingraveſcit, ut æger, propter metum ſuffocationis, in alterutrum latus reclinare recuſans, non niſi ſupinus decumbere queat: et ſæpe ſpiritum ægerrimè trahens, erectus omninò ſedere cogitur, quo ſuffocationem imminentem arceat; in hac enim poſitura, diaphragma non furſum viſceribus abdominis

premitur,

premitur, et ſpatium amplius pulmonibus conceditur.

Tuſſis, initio morbi ferè ſicca, poſteà humida fit, et expectoratione ſtipatur; quæ ſputum imprimis tenue, ſæpe ſanguine tinctum, et flavum, educit. Urina parvâ quantitate haud rarò redditur; modò guttatim, non ſine dolore, effluit; nunc profundè rubet, nunc omninò palleſcit, quod periculum haud parvum indicat. Alvus plerumque aſtringitur; etſi tamen diarrhœa nonnunquam urgeat. A principio, cutis ſicca et arida manet; morbo autem decedente, aut in melius verſo ſudor lenis prorumpit.

Omnia hæc ſymptomata non ſemper in decurſu morbi apparent; ſed plura vel pauciora, prout morbus lenior vel gravior fuerit, ſeſe oſtendunt. Morbo ad finem infauſtam prorepente, omnia ſymptomata graviora fiunt:

ſpiritus

ſpiritus maximo cruciatu reciprocatur, pulſus formicat, mens parùm conſtat, vel omninò alienatur, extrema ſudore gelido madent, oculi pulverulenti hebeſcunt; tandem æger, duro certamine victus, fata ſubit.

DIAGNOSIS.

Diagnosis, ſignis morbi ritè perpenſis, plerumque facilè innoteſcet; aliquando tamen de ea ambigitur; et Profeſſor noſter Gregorius obſervat, inexpertes in nullo alio morbo in errores hujuſmodi, periculi plenos, frequentiùs incidere.

Peripneumonia notha, carditis, hepatitis, pleurodyne et gaſtritis, morbi ſunt, qui pneumoniam ſæpiſſimè mentiuntur, et quibuscum confundi maxime periclitatur.

Peripneumonia notha, ii, quorum vires morbis prægreffis multùm fractæ fuerint, ætate confecti, liquoribus fpirituofis nimis dediti, diuque abufi, huic morbo maximè objiciuntur; figna multò leniora funt, catarrhumque graviorem fimulant; et febris, fi quæ adfit, vehementiâ pyrexiam pneumoniæ nunquam æmulat. Ex remediis adhibitis, quoque, aliquid deduci poteft; detractione enim fanguinis, peripneumonia notha ingravefcit.

Carditis, cum pneumonia faciliùs commifci queat; et haud raró cum eo conjungitur. Si quando autem feorfim adoriatur, palpitatione, fede doloris, et pulfu irregulari, ab eo fecernenda eft.

Hepatitis, dolore in hypochondrio dextro, preffu aucto, ad claviculam plerumque tendente, et in latus affectum decubitu faciliore, a pneumonia dignofci queat. In hepa-

titide

titide quoque, tuſſis ſicca, vomitus et ſingultus, ad diagnoſin ſtabiliendam conferri poſſunt.

Pleurodyne, eſt affectio rheumatica, muſculos thoracis et præſertim intercoſtales afficiens: in hoc autem morbo, febris lenis omninò eſt; et ſæpe eodem tempore, rheumatiſmo artuum tentatur æger; preſſu quoque multùm intenditur.

Gaſtritis, vomitu poſt cibum aſſumptum, dolore in epigaſtrio, urente, et febre typhode, a pneumonià aptè ſecernitur.

Hiſce variis ſignis, pneumonia ab aliis ferè morbis facilè dignoſcetur, quibuſcum confundi ſolet.

CAUSÆ REMOTÆ.

Plethorici, robusti, firmis et tensis fibris instructi, viri præ fœminis, in pneumoniam faciliùs incidunt. Qui quoque morbo jam anteà laboraverunt, eò iterum procliviores evadunt. Hieme, et præsertim vere, frequentiùs occurrit: et quò frigidior regio, quò magìs mutabile cœlum, eò morbo homines magìs proni fiunt. Pravâ quoque thoracis conformatione præditi, morbo opportuniores evadunt. Mediâ ætate, homines pneumoniâ faciliùs implicantur. Denique qui lautiùs vivunt, cibumque nimis ingurgitant, liquoribusve spirituosis abutuntur, pneumoniâ frequentiùs corripiuntur.

Causæ quæ morbum excitent, haud paucæ enumeratæ fuerunt; scilicet, vapores acres; vulnera; vis externa; exercitium nimium;

cantu,

cantu, vociferatione nimis contentio vocis. Aëris quoque ſtatus peculiaris, morbum epidemicè concitâſſe fertur. Frigus autem pneumoniæ cauſa omnium longè frequentiſſima meritò habetur; præſertim ſi corpori anteà calefacto ſubitò admotum fuerit. Quomodo autem frigus ſummo corpori applicatum, modò unum modò alium induxerit morbum, difficilè imprimis explicatu erit; quod tamen proclivitati, quæ corpori ineſt, ut ex iiſdem cauſis admotis, aliis, præ aliis morbis afficiatur, ex parte ſaltem tribuendum eſt. " If two perſons of different conſtitutions " are expoſed to the operation of cold, they " ſhall not both be attacked with the ſame " diſeaſe; nay, it is probable, the one may " be ſeized with a diarrhœa, while the other " gets a pleuriſy. Thus, for inſtance, if the " breaſt, has imprudently been ſubjected to " cold, a pleuriſy will more readily occur than " any other phlogiſtic diſeaſe; but, if the

" cold

"cold applied has been univerſal, a general "inflammatory diatheſis will be the conſe- "quence, as in rheumatiſm. And, ſecondly, "if the degree of cold acting, with the man- "ner of its application, is attended to, we "may, I conceive, be able to account for its "effects *."

PROGNOSIS

Ex vehementia ſymptomatum, et duratione morbi, pendet. In nullo alio morbo medicina, tempeſtivè adhibita, plus valet; nullus auxilium importuniùs efflagitat, aut remediis, modò aptè parata ſint, feliciùs cedit. Signa quæ periculum maximè denunciant, ſunt, dolor pungens, fixus, reſpiratio difficilis, laborioſa, vel, uti CULLENUS illuſtr. benè monuit †, "when the breathing is very difficult, "even

---

* DICKINSON on Fever.

† Firſt Lines, &c.

"even in the erect posture, and attended "with a turgescence and flushing of the face, "with partial sweats about the head and "neck, and an irregular pulse."

Si expectoratio subitò suppressa fuerit, malùm quoque: Si adsit delirium, orthopnœa, et sudores frigidi, viscidi, super extrema erumpant, de ægro conclamatum est. Sin autem pyrexia non adeò vehemens fuerit, respiratio non multùm impedita; si dolor lenis fuerit, parùm tussi exasperatus, quæ expectorationem materiæ flavæ, alinquantulo sanguinis tinctæ, facilè eduxit; dum sudor calidus per totum corpus æqualiter permanat; et præsertim si remedia opportunè adhibeantur; de ægro benè sperare licet.

MORBI TERMINATIONES.

Præter terminationes omnibus viscerum inflammationibus communes, resolutionem, nimirùm,

mirùm, ſuppurationem et gangrænam, quandam ſibi propriam, Effuſionem ſcilicet, vindicat pneumonia.

Reſolutio.—Si morbus non gravis fuerit, et curatio ritè et tempeſtivè inſtituatur, hic pneumoniæ exitus maximè optandus, plerumque ante ſeptimum morbi diem occurrit, ſæpe citiùs vel ſeriùs. Reſolutio evacuatione quâdam plerumque comitatur; preſertim exſcreatione materiæ ſubflavæ, viſcidæ, ſanguine ut plurimùm tinctæ; et eodem tempore ſudor calidus univerſus, ſeſe per totum corpus diffundens, haud parùm levaminis affert. Diarrhœa quoque bilioſa, morbum interdum ſummoviſſe dicitur. Hæmorrhagiis quoque variis pneumonia ſæpe criticè ſolvitur, quales ſunt, profluvia ſanguinis e naribus, et hæmorrhoidalibus. Hæc, cum remiſſione ſymptomatum, morbum decedentem certiſſimè demonſtrant.

Suppuratio.

Suppuratio.—Si morbus ad decimum uſque diem ingraveſcat, ſuppuratio haud dubiè imminet: accedentem prænunciant horrores, frigidi ſudores, præſertim circa caput et pectus; remittit dolor, et expectoratio cohibetur, dum perſtant dyſpnœa et tuſſis; ſenſus quoque ponderis in pectore aliquando percipi poteſt. Æger quoque, dum in latus affectum decumbat, meliùs ſe habet. His quotidiè ingraveſcentibus, tandem rumpitur abſceſſus, et pure, vel in veſiculas pulmonales effuſo, æger ſuffocari periclitatur, vel in thoracem viam ſibi aperiente, empyema haud minùs lethale oriri poteſt. Aliquando ſuppuratio, ſi non brevi fatalis evaſerit, tantam nihilominùs labem pulmonibus infert, qualis aliorum et ſanè graviſſimorum morborum, phthiſeos ſcilicet et hydrothoracis, fundamenta jecerit. Interdum pus haud parvâ quantitate expuitur, et æger, non ſine maximo vitæ diſcrimine, convaleſcit.

Gangræna.

Gangræna.—Hæc morbi terminatio rarissima est. Gangrænæ indicia sunt, subita virum defectio, doloris remissio, pulsus, debilis frequens et intermittens evadens. Si ad hæc delirium, anima fœtida, et expectoratio materiæ coloris rubri, vel nigrescentis, accedant; si oculi squalidi hebescunt, in orbitasque subsidant; vox deficiat; dum quod infrà dejicitur quàm maximè fœtet; gangrænam supervenisse certiores simus.

Effusio.—Cum expectoratio subito cohibitur, et sensus suffocationis percipitur, cum respiratione maximè difficili; si dolor lenior evadit; et vultus fit lividus, turgidus; hunc exitium infaustum imminere, præsagire licet: Pneumonia, etsi initio levis, haud rarò, nullo prænuncio dato, effusione infeliciter terminat: aliquando vasa nimis distenta rumpuntur, et sanguis in pulmones effunditur; sin autem vires duratione morbi multùm fractæ fuerint, effusio

effusio seri, vel tenuioris partis sanguinis solùm, accidit. Pneumonia schirrum pulmonum interdum induxisse dicitur; sed hoc minùs certum est.

RATIO SIGNORUM.

Pyrexia.—Hæc omnibus viscerum inflammationibus comitem ferè indivulsum se præbet: non solùm e stimulo quem talis læsio toti systemati infert, et renixu exindè subsecuturo, deducenda est; sed sudor subitò causâ pneumoniæ excitante suppressus, et spasmus forsan superficiei corporis inductus, sanguinem in majoribus vasis accumulando, stimulum iis, ad febrem concitandam satis validum, impertiat.

Dyspnœæ causa in promptu est; quodcunque enim transitum sanguinis per pulmones impedit, vel vasa aërifera ita comprimit, ut

difficilior aëri pateat aditus, ad hoc præſtandum omninò par eſt; congeſtionem igitur ſanguinis in pulmonibus, dyſpnœam concitare, intellectu minimè difficile eſt: dolor quoque omni reſpiratione pleniore exaſperatur, quod ægrum ſpiritum arctiùs trahere cogit.

Tuſſis.—Hæc, auctæ bronchiorum ſenſilitati, quâ, ſolito admoto ſtimulo in motus abnormes rapiuntur, vel muco in ea copioſiùs ſecreto, forſan acriori facto, irritationem nimiam concitanti, tribui debet.

Dolor.—Quoniam tam arctus intercedit nexus inter ſenſilitatem nervorum et ſanguinis quantitatem, qui illis, ut munera probè exerceant, omninò neceſſarius videtur, non mirum erit, ſanguine in aliquam partem ſolito uberiùs profluente, nervos exinde ſenſum auctum adipiſci. Dolor quoque ſemper acerbiùs urgere dicitur, quando morbus in parte

te membranosa pulmonum, quàm cùm in substantia cellulari, incidit: Pleura enim etsi sana, MONRO et aliis testantibus, parùm si omninò sensilis observatur, morbo tamen correpto, sensum, et sanè acutum adipiscitur.

Rubor, et aliquando livor, faciei.—Sanguis, propter vim arteriarum adauctam, non solùm majori impetu caput versus propellitur; sed quoque, propter congestionem in pulmonibus, impedimentum oritur reditui sanguinis ex cavâ superiore; quo fit ut sanguis in capite congeritur, et sæpe lividus apparet, quippè mutationem solitam malè forsan subierit.

Decubitus difficilis.—Quando æger in latus affectum difficiliùs decumbit, hoc pressuræ sani in pulmonem laborantem tribui debet, sin autem, quod nonnunquam accidit, in latus affectum faciliùs reclinare potest; hoc pulmoni pleuræ adherenti, plerumque relegatur. Si

non

non nisi supinus æger quiescere potest, utrumque pulmonem morbo tentari colligere fas est.

RATIO MEDENDI.

Ad detractionem sanguinis, remedium in hoc morbo longè paratissimum, quamprimum decurratur necesse est. Sæpe per se, si cautè et peritè usurpata fuerit, ad morbum omninò depellendum quàm optime valet; et sanè, hâc neglectâ, resolutionem morbi omnibus aliis remediis, etiam maximè laudatis, frustrâ molimur. Trillerus, agens de effectibus qui ex hoc remedio audacter adhibito profluunt, sic habet: "Ordiamur (inquit) a venæsec-
"tione, hæc enim sacra quasi est anchora ad
"quam unicè confugiendum in hoc morbo, et
"a qua sola, sola inquam, omnis pleureticorum
"salus pendet. Hâc enim, mox ab initio ma-
"li, sat citò, crebrò et largè administratâ, om-

"nis

" nis ferocientis morbi vis illicò perit, et ma-
" lum in ipſa quaſi herba penitùs ſuffocatur.
" Eâdem contrà, aut temerè neglectà prorsùs,
" aut parcè nimis et timidè inſtitutâ, ægrorum
" ſalus de exigua ſpe pendet, et in ſummum
" vitæ diſcrimen adducitur, licèt omnis medi-
" camentorum apparatus in ſubſidium advo-
" cetur. Irrita ſcilicet omninò vana et inef-
" ficacia omnia erunt, ſplendidè mendacibus
" licèt titulis ſuperbientia, ſi omiſsâ quidem
" venæſectione, adhibeantur :

" ——— pugnatum eſt arte medendi,
" Exitium ſuperabat opem ; quæ victa jacebat.

" Egregium contrà præſtabunt uſum, ſi per-
" acta eadem, ritè et ſcienter applicentur *."

Detractio ſanguinis generalis eſſe debet ; ex utroque brachio ſat commodè mitti queat. Quantitas

* Trillerus de Pleuritide.

Quantitas ſingulis vicibus detrahenda, prout morbus plùs minùs urgeat, variet neceſſe eſt. Ex unciis octo ad viginti duo celebrari poteſt.

Sed medici eſt, vehementiâ ſignorum, duratione morbi, habitu corporis et conſuetudine ægri, maturè perpenſis, ſtatuere, quid poſtulent ſymptomata, quid ferat æger. Sanguis plerumque mittendus eſt, donec aliquantulum remiſerit dolor, et reſpiratio minùs laborioſa evaſerit.

E vulnere haud parvo ſanguinem educere convenit, quo pleniori rivo fluit, quod ſanè ad curationem morbi, haud minùs quàm quantitas deſumpta, forſan conferat. Sanguinem iterum atque iterum mittere convenit, prout dolor, dyſpnœa, et alia ſigna moleſta, depoſcere videantur. Prudentis autem eſt, cavere ne ſanguis juſto copioſiùs eductus, graviora mala quàm e morbo timenda ſunt, concitaret. Si

ſanguis

ſanguis detractus, pro tunica tenaci denſa ut in pneumonia obtegi ſolet, pelliculam tenuem malè concreſcentem obſtendat, non temerè iteranda eſt, ne viribus ægri fractis, lentæ valetudinis, vel forſan aliorum et haud levium morborum, fundamenta jecerit.

Quando autem vires multùm defecerint, ſi morbus adhuc gravè urgeat, tunc detractioni ſanguinis topicali, quàm proxime parti dolenti, planè locus eſt. Ad cucurbitulas cruentas, hirudines vel ſacrificationem, confugiendum eſt. His autem non nimis fidendum eſt; et raró aliquid boni, niſi præmiſsâ ſanguinis detractione generali, præſtant.

Sed quod uſitatiùs eſt et meliùs, ad epiſpaſtica prius decurritur. Hæc ſanè in hoc morbo, ut fere in aliis inflammationibus, ſanguinis miſſioni proximum locum meritò tenent; hâc prius adhibitâ, parti dolenti quàm

proximè

proximè imponi deberet, et iterum atque iterum alio vel priori parti, cute probè ſanata, renovari. Sæpe dolorem multùm imminuunt; irritationem et tuſſim, prius admodum moleſtam, haud parùm ſopiunt; expectorationem promovent; et ſane haud rarò ulteriorem ſanguinis detractionem omninò ſupervacuam reddunt. Auctor elegans, de uſu epiſpaſticorum in hujuſmodi morbis diſſerens, hæc habet verba: "In leviore inflamma-
" tione, ubi febris nulla, aut leniſſima ſaltem,
" adeſt, ſuper partem inflammatam impoſita,
" nullo omninò detracto, ſanguine ſæpe ad mor-
" bum ſubmovendum ſufficiunt; et in graviſ-
" ſimis etiam, ubi vehemens ſimul febris ur-
" get, ſanguine jam ſemel, atque iterum for-
" taſſe, miſſo, utiliſſima reperiuntur; et magnas
" et repetitas ſanguinis detractiones, alioquin
" ſolam ſpem atque perfugium, minùs neceſſa-
" rias reddunt; et majus præterea levamen ſæpe
" afferunt quàm maximæ ſanguinis detractio-
" nes,

" nes ; et fimul valde infirmis et exhauftis op-
" timè conveniunt, qui fanguinis detractionem
" nullo modo tolerare potuiffent *."

Catbartica.—Hæc, acriora faltem fi fuerint, propter nimiam irritationem quam creant, fere prohibenda funt. Alvus tamen, per totum morbi decurfum, leniter foluta tenenda eft. Hoc confilio, laxantia mitiora, præfertim refrigerantia, et clyfmata emollientia, optimè conveniunt.

Emetica.—Hæc, fi unquam, quàm cautiffimè danda funt, et folùm ut naufeam leviffimam excitent. Mitiora, ut ipecacuanha vel antimonium parvâ admodum quantitate, huic confilio haud malè accommodata funt. Propter metum autem vomitum ciendi, qui planè incommodo haud levi non caret, meliùs, in

* GREGOR, Confpect. Medic.

priori morbi ſtadio ſaltem, ab iis omninò abſtineatur.

Expectorantia.—Hæc, morbo recenti, et inflammatione adhuc urgente, cautè uſurpari debent; quia pleraque haud parùm ſtimulant, et vomitum ſæpe inducendo impetum ſanguinis per pulmones incitare periclitantur, et igitur plùs mali quàm boni ex horum uſu, præſertim ſi acriora fuerint, in hoc morbi ſtatu proveniret. Quando autem remediis idoneis vis morbi aliquantum ſubacta fuerit, ad ea non ſine fructu ſæpe decurritur. Acetum ſcilliticum, alkali volatile, et gummi ammoniacum, in uſum ſæpe revocantur.

Demulcentia—per totum morbi decurſum liberali manu propinanda ſunt. Extractum glycyrrhizæ, trochiſci glycyrrhizæ cum opio, decoctum althææ, et mucilago gummi Arabici, hoc conſilio ſæpe uſurpantur.

Diluentia,—

Diluentia,—quoque ſemper in promptu ſint. Aqua hordeata et potus acidus vegetabilis maximè in uſu ſunt. Vaporum quoque aquæ calidæ inhalatio ad tuſſim ſopiendam et expectorationem promovendam ſæpe haud parùm confert.

Opium—quoque, etſi dum ſigna vehementiora perſtant cautè vitandum eſt, tamen cùm hæc remiſerint, ſed tuſſis adhuc moleſta ægrum fatigat, irritationem ſummovet, et ſomnum ægro, aliter inquietam noctem acturo, quàm optimè conciliat. Quod ad dietam attinet, levis eſſe debet, concoctu facilis, et ex vegetabilibus deſumpta. Omnia quæ irritant, vel corpus calefaciunt, ſedulò prohibenda ſunt. Ex exercitio quoque, quippe haud parùm ſtimulat, probè caveat æger : ex omni niſu ut loquela, vociferatione, &c. quibus pulmones ad auctam actionem cientur, abſtinere debet. Cùm autem morbus in ſalutem ceſſerit, et debilitas

ſola

ſola ſuperſit, ad vires morbo labefactas reſtituendas noſmet accingere debemus: tunc diæta magìs nutriens convenit, et juſcula varia, cum pauxillo carnis, concedi debent. Quæ, quando tutò fieri poſſit, gradatim augeantur.

The precept ſtill ſticks cloſely by us,
Nil dictum, quod non dictum prius.

FINIS.